



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de

Lvgdvni, 1609

Taurorum agitatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

reas ducentes sunt mortales & non sunt absoluendi, nisi firmiter proponant se abstenturos ab eis. cap. 3. num. 5. lit. K. Nou. num. 22. 23. 24.

Tangentes se mutuò iuxta morem patriæ, sed ob prauam consuetudinem peccantes, non sunt absoluendi, nisi concurrant quatuor conditiones relatæ. cap. 3. num. 3. lit. E. Nou. num. 15. Et in hoc comp. tit. Absolutio. I. lit. C.

Iocose, sine malo fine, & sine aspectu, aut tactu partium impudicarum, tangere mammillas honestæ fœminæ, ducere eam per manum, aut brachium, premere manum, vellicare, brachium torquere, pedem eius suo contingere, osculari, ubi est talis consuetudo, non est mortale, nec præbet occasionem peccandi mort. cap. 14. num. 31. §. 19. lit. I. Nou. num. 42.

De tactibus impudicis sponforum de futuro, aut cuiusuis maris & fœminæ, aut coniugatorum cum periculo pollutionis, vide tit. Luxuria.

T A U R O R V M

Agitatio.

PER Pium V. edita fuit extrauagans circa agitationem Taurorum in qua,
CCc 2 Qui

Quibus suis principibus Christianis, & communitatibus, seu rebus publicis praecipit sub pena excommunicationis ipso facto, ne in suis provinciis, terris, ciuitatibus, oppidis, spectacula, ubi taurorum aliarumque ferarum & bestiarum agitationes exercentur, fieri permittant; militibus quoque, caterisque, aliis personis, ne cum tauris, & aliis bestis, in praefatis spectaculis ipsi tam pedestres quam equestres congregari audeant interdicit. Quod si quis ibi mortuus fuerit, careat Ecclesiastica sepultura. Clericis quoque tam regularibus quam secularibus beneficia Ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris ordinibus constitutis sub excommunicationis poena in eisdem spectaculis intersit, similiter prohibet, annullatque omnia vota, & iuramenta facta, vel facienda de taurorum agitatione. Denique mandat omnibus principibus, & Baronibus Ecclesiae Romanae feudatariis sub poena priuationis huiusmodi feudorum, reliquos vero principes Christianos hortatur in domino, & in virtute sanctae obedientiae mandat, ut in suis terris haec faciant obseruari. Patriarchis autem, Archiepiscopis, & Episcopis, & locorum Ordinariis in virtute sanctae obedientiae, sub obrestatione diuini Iudicii, & interminatione maledictionis aeternae mandat, ut in suis diocessibus has litteras sufficienter faciant publicari, & etiam sub poena & censuris Ecclesiasticis obseruari curent.

Qua

Quæ lex potest limitari, ne procedat, quando in agitatione taurorum, vel aliarum ferarum, ita moderata, vt probabiliter credi possit, quòd cessabunt notabilia nocumenta personalia, mortis, vulnerum, & id genus. Quoniam fines, qui mouerunt Pium V. fuerunt hæc inconuenientia: & cessante fine legis, cessat eius dispositio. Sed longè melius esset vt aliis ludis ad hilarandum populum. Verumtamen etiam ante Pium V. erat damnandum studium, quo aliqui magnates querebant ferocissimos tauros, qui antea in circis agitati aliquos occidissent. cap. 15. num. 18. vsque ad num. 22.

Sed aduertas, obsecro lector, quòd Gregorius XIII. ad instantiam Philippi II. Regis Catholici, limitauit prædictum motum proprium, tollens excommunicationis aliarumque censurarum Ecclesiasticarum pœnas in regnis Hispaniæ, quoad laicos, fratres, milites tantum quarumcumque militiarum etiam præceptoriarum, & beneficia ipsarum militiarum obtinentes, dummodò dicti fratres non sint sacris ordinibus initiati, & agitationes taurorum festis diebus non fiant. Huius extrauagantis non meminit auctor, forte quia non venit ad eius notitiam.